



1. Arnoldi, Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarten, Sigrim. Jac. diff. ad verba Rom. 1. v. 4. Hald 1738.
3. Beumler, Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gerner, Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenbergæ 1596.
5. Hartmann, Joachimi diff. Sirtens Vati-
ciani Simeonis. Rostochij 1744.
6. Heilbronner, phil. diff. proponens
Antitheria Doctrinæ petri Apostoli et
Pontificis Romani, Lauingæ 1597.

Theses Theologicae

DE VOCATIONE ET ORDINA-
tione ministrorum Ecclesiae,

Quarum veritatem contra Pontificias strophas,

DEO CLEMENTER ANNUENTE:

PRAESIDE M. BAL-
THASARE MENTZERO, SS.
Theologiae in Academia Marpur-
genfi Professore, asserere
conabitur

M. JOHANNES HASENKLO
Cassellanus.



*Ornatis: & Doctiss: Dno M. &
Gerdo Mesomyhi collegae suo
minandis exsivet R*

Marpurgi, typis Pauli Egenolphi. 1597.

An Hi 6

T. delect. & theologica

DE VOCATIONE ET ORDINE
GONNEB. ELLIOTUM FOLIA

DE VOCATIONE ET ORDINE

DE VOCATIONE ET ORDINE

TRABESIDE M. RAT.

TRABESIDE M. RAT.

TRABESIDE M. RAT.

TRABESIDE M. RAT.

TRABESIDE M. RAT.

TRABESIDE M. RAT.

TRABESIDE M. RAT.



TRABESIDE M. RAT.



Theses

DE VOCATIONE ET ORDINATIONE ministrorum Ecclesiæ.

THESIS I.



Propositum nobis est *ἔνδὲν* de^o instituere disputationem de Vocatione & Ordinatione ministrorum Ecclesiæ. Cum certum sit, neminem docere in Ecclesia utiliter & ad ædificationem posse, nisi legitime sit vocatus & missus: dicente Apostolo: Quomodo predicabunt, nisi missi fuerint? Roman. 10. vers. 15.

2. Cum autem non unius generis ministri in Ecclesia esse plerumq; soleant: nos hic potissimum illos Ecclesiæ ministros dicimus, qui docent Evangelium, & Sacramenta administrant.
3. In quibus vocandis, constituendis & ordinandis certo ordine & ratione progrediendum esse constat ex sacris literis, ex vera Ecclesiæ praxi, & ex monumentis pia antiquitatis.
4. Nequaquam enim ferendi sunt, sed tanquam fures & lupi vitandi & abigendi, quicumq; absq; vocatione sese ingerunt & obtrudunt Ecclesiæ, Hierem. 23. v. 21. Matth. 7. v. 15. Ioh. 10. v. 8.
5. Neq; probari debet aut potest Anabaptistarum confusio, qui faciunt copiam quibusvis sine discrimine, publicè docendi.
6. Nam in Ecclesia ordine fieri omnia debent, & decenter, 1. Cor. 14. v. 33. & 40.
7. Et nihil concludit illud argumentum: Sacerdotum officium est docere Ecclesiam, Levit. 10. v. 11. Malach. 2. vers. 7. Christiani omnes sunt Sacerdotes, 1. Pet. 2. v. 9. Apoc. 1. v. 6. & c. 5. v. 10. Ergo quicumq; fideles docere in Ecclesia possunt & debent.
8. Resp. Sunt quatuor termini. Nam distinguendum est inter Sacerdotes Leviticos veteris Testamenti, de quibus vide Mosen: Et inter

*Sacerdotes spirituales novi Testamenti, quorum sacerdotium spectatur
in offerendis hostijs spiritualibus, Rom. 12. v. 1. Heb. 13. v. 15.*

9. *Deinde aliud est privatim instituere suos domesticos & familiares:
quæ vocatio generalis est ad omnes ex æquo Christianos pertinens. Aliud
est, publicè docere in Ecclesia, quæ est vocatio specialis.*

10. *Nam Deus non vult omnes esse doctores, 1. Cor. 12. v. 29. Ephes. 4.
v. 11. sed quosdam auditores & discipulos. Diversa enim sunt Spiritus
sancti dona, 1. Cor. 12. v. 4.*

11. *Porro penes quem sit ius & potestas vocandi ministros Ecclesiæ,
aliùs considerandum est, propter tyrannidem Pontificiam, quæ omnia
Ecclesiæ iura, nescio quo Apostolica successionis titulo, ad sese rapuit.*

12. *Affirmamus autem clara voce, verum ius vocandi ministros
Ecclesiæ Deum sibi vindicare: Ac proinde nullam prorsus veram esse
vocationem, nisi ab ipso Deo factam.*

13. *Solius enim Dei est deligere sibi ministros: & quos velit eligi, cer-
tas leges hominibus præscribere.*

14. *Vocat autem Deus ministros Ecclesiæ, tum immediatè, tum me-
diatè.*

15. *Immediata vocatio est, (extraordinariam hodiè vocamus) quæ
fit ab ipsismet Deo, non ab hominibus, neq; per hominem, Galat. 1. ver-
sus 1.*

16. *Quam quidem Deus aut ipsemet, sine internuntio, ut Mosi, Exod. 3.
v. 4 & Eliæ: aut per Prophetam vel Apostolum aliquem declarat, ut
Aaroni per Mosen, Exod. 4. v. 14. Eliseo, 1. Reg. 19. v. 19. per Eliam: aut
per sortem, ut in electione Matthiæ, Act. 1. v. 24.*

17. *Hanc vocationem semper extraordinaria quedam divina do-
na & testimonia comitantur: quæ sunt tanquam sigilla divine do-
ctrinæ.*

18. *Et habet ea conjunctam virtutem, ut ab ipso Deo dirigatur, à quo
profecta est.*

19. *Unde fit, ut simpliciter fides habenda sit doctrinæ illorum, qui sic
vocati sunt. Quia ab ipso Deo inspirantur & docentur.*

20. Sic

20. Sic vocari sunt Patriarchæ & Prophetæ Veteris Testamenti. Et in novo Testamento Iohannes Baptista, Apostoli, septuaginta discipuli, Paulus, & alij nonnulli, quorum in sacris literis mentio extat.
21. Qui quidem omnes peculiaribus testimonijs à Deo ornati fuere, ut inter ipsos & pseudodoctores facile discerni possit.
22. Quanquam enim Pseudopropheta interdum jaētitant miracula, Deut. 13. v. 1. Matth. 24. v. 24. 2. Thess. 2. v. 9. ea tamen à pijs repudiantur, quia conjuncta sunt cum sana doctrina depravatione.
23. Nam contra divinam doctrinam nulla miracula valere quicquā debent. Unde fit, ut illa Pseudoprophetarum miracula dicantur mendacia, 2. Thess. 2. v. 9.
24. Est & hoc privilegium eorum, qui immediatè vocati sunt, quòd non sint ad certam quandam Ecclesiam alligati, sed ubiq; docendi habeant potestatem.
25. Etsi enim Apostoli & discipuli Christi in prima legatione tantum ad Iudeos mittebantur, Matth. 10. vers. 5. 6. postea tamen in universum orbem ire & docere iussi sunt, Matth. 28. v. 19. Mar. 16. v. 15.
26. Hæc immediata vocatio potissimum locum habuit vel in Ecclesia constituenda, vel eadem repurganda ab erroribus falsorum doctorum.
27. Hodie non est, ut doctores à Deo immediatè vocatos expectare quis debeat.
28. Quanquam enim fas non est, liberrimæ Dei voluntati & infinitæ potentie modum præscribere: Tamen cum nullum habeamus vel mandatum Dei, vel promissionem, repudiamus mirificam illam, quam nonnulli fingunt, extraordinariam vocationem, quæ ex unius Dei intrinseco afflatu proficiscatur.
29. Nam exempla, quæ ad eam confirmandam illi afferunt, Philippî Diaconi, Act. 8. v. 5 & aliorum, qui hinc inde, inscijs etiam Apostolis, Evangelium prædicaverint, Act. 8. v. 14. Act. 11. v. 19. partim sunt specialia, & illius temporis propria, partim etiam à questionis scopo aliena.
30. Ut taceam jam, ex paucis quibusdam exemplis, ijsq; planè specialibus, extrui generalem regulam non posse.

Manuscript notes in the left margin:
Donesi sunt
Ministros
in hoc
Ep.

31. Opus enim nobis est argumentis firmis & immotis, quae certos nos reddere de vocatione nostra possint.
32. Acquiescendum ergo est in mediata, (quam & ordinariam dicimus) vocatione: quam & Apostoli nobis per Spiritum sanctum praescripsere, & primitiva Ecclesia constanter retinuit & propagavit.
33. Est autem mediata vocatio, quae fit per ordinaria media, nempe per homines idoneos ad id constitutos, certo ordine & legibus verbo Dei expressis, 1. Tim. 3. v. 1. & Tit. 1. v. 5. & c.
34. Quamquam autem ea sit hominum ministerio, est tamen verè divina, & ipsum Deum auctorem habet: qui & verè per illam est efficax in Ecclesia, 1. Cor. 3. v. 5. 6. & 1. Tim. 4. v. 16.
35. Deus enim est, qui in Ecclesia constituit non tantum Apostolos, (immediatè vocatos) sed & doctores (mediatè vocatos,) 1. Cor. 12. v. 28. Ephes. 4. v. 11. Christi nomine fungimur legatione, 2. Cor. 5. v. 20. Spiritus sanctus est, qui mundum arguit (ministerio verbi) de peccato, Ioh. 16. vers. 8.
36. Unde Timotheus, cui Paulus commenda verat ministerium Ecclesiae per impositionem manuum presbyterij, 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6. & alij Ephesinae Ecclesiae ministri ordinarij, à Spiritu sancto dicuntur esse constituti, Act. 20. v. 28.
37. Atq; hinc est, ut Christum audire vel rejicere dicatur, qui ministros Ecclesiae audit vel rejicit, Luc. 10. v. 16. Act. 7. v. 52.
38. Solus ergo Deus est Dominus ille messis, qui extrudit operarios in messem suam, Matth. 9. v. 38.
39. Utitur autem in ordinaria vocatione non ministerio Angelorum, sed ministerio Ecclesiae suae, cui Christus tanquam sponsae suae commendavit claves regni, Matth. 18. v. 17, 18. & verbum & Sacramenta, Roman. 3. v. 2. & c. 9. v. 4.
40. Unde totum ministerium est Ecclesiae, Ephes. 4. v. 12. 1. Corin. 3. v. 21. Et pastores dicuntur Ecclesiae ministri, 1. Cor. 3. v. 5.
41. Caterum quia Ecclesia suis membris constat, Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 12. v. 12. & in quosdam hominum ordines seu classes distinguitur: quaeritur, Sitne totius Ecclesiae vocare ministros, an quorundam duntaxat Ecclesiae membrorum?

42. Nos affirmamus ex scriptura, esse totius Ecclesiae. Negant Pontificij.

43. Assertionis nostrae haec argumenta proponimus. I. Cui datae sunt claves regni caelorum, penes illum est vocatio ministrorum. Toti Ecclesiae datae sunt claves regni caelorum. Ergo penes totam Ecclesiam est vocatio ministrorum: Nempe eo ordine, qui est in scripturis sacris expressus.

quo sunt in
Ecclesia d.
claves. B.
no v. A. 7. 11

44. Propositio firma ex definitione clavium. Assumptio patet ex Mat. 18. v. 17. & 18. Dic Ecclesiae. Et: Quaecumque ligaveritis in terra, erunt ligata in caelo, &c.

45. Vanus est Bellarminus, qui per Ecclesiam hic intelligi putat praelatos Ecclesiae, li. 1. de Clericis, c. 7. An enim soli praelati sunt Ecclesiae?

46. Nec juvare eum potest exemplum hominis, qui loqui & videri dicitur, licet non nisi lingua loquatur, & oculis videat. Quod ego sic inverto: Homo loquitur, nempe lingua, ut instrumento naturali, quod ab anima movetur. Sic Ecclesia vocat ministros per presbyterium, cui id muneris demandavit.

47. Haud igitur ritè haec opponuntur: Presbyterium vocat: Ergo non tota Ecclesia. Nam presbyterium vocat ministros non privato quodam arbitrio, sed publico nomine totius Ecclesiae. Unde etiam vocantur non ministri presbyterij, sed ministri Ecclesiae.

48. Argumentum secundum. Cujus est discernere synceros doctores à seductoribus, & audire sanam doctrinam, & fugere errores, ejus est vocare ministros Evangelij. Atqui illud toti Ecclesiae competit. Ergo & hoc.

49. Consecutio propositionis certa est ex 1. Tim. 3. v. 2. & c. 2. Tim. 2. v. 24. Tit. 1. v. 9. 1. Thess. 5. v. 21. Assumptio confirmatur testimonijs Christi, Matth. 7. v. 15. Cavete vobis à Pseudoprophetis. Et Pauli, Gal. 1. v. 8. Qui docet aliud Evangelium, anathema sit.

50. Pueriliter ad hoc argumentum respondet Bellarminus: Fatetur enim (idè rectè; alijs Pontificijs haud idem sentientibus,) populum debere discernere verum à falso: Sed regulam istius discretionis & judicij dicit esse (non sacram scripturam, sed) ea, quae à praedecessoribus, vel alijs ordina-

ordinarijs pastoribus, & praesertim ab Apostolica sede & Ecclesia principali dicantur, lib. 1. de Clericis, c. 7.

51. Quae verò istae ambages? Quid enim si praedecessores falsa docuerint? Quid si contraria? Quid si inter se, ut saepe factum, dissenserint? Num verò error huius & illius doctoris regula esse potest aeternae veritatis? Num doctorum di verse imò contrariae opiniones possunt esse canon unitatis fidei?

52. Potius ad legem & ad testimonium, inquit Propheta, Esa. 8. v. 20. non ad hunc vel illum doctorem. Quare Bercaenses ad scripturam exigebant, quae dicebant Paulus & Silas, non ad ordinariorum doctorum vel Phariseorum opiniones. Nam fides non in hominum auctoritate, vel successione, vel ordine, sed solo verbo Dei recumbit.

53. At imperatum est populo, inquit Bellarminus, ut audiant pastores suos, Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Et Matth. 23. Quae dicunt, facite.

54. Resp. Sanè audiendi sunt pastores. At illi pastores non sunt, qui corrumpunt, mutilant, pervertunt summi pastoris verbum. Qui docet, quae Christus mandavit eis, Matth. 28. v. 20 illi pastores sunt, & audiendi sunt. Qui secus faciunt, hi lupi sunt, & mercenarij, ac proinde fugiendi, Ioh. 10. v. 5. & 8.

55. Ponamus tamen ita esse, ut vult Bellarminus: manet nihilominus firma conclusio: Populus debet discernere verum à falso Propheta. Ergo populi consensus & suffragium requiritur ad ministrorum Ecclesiae vocationem.

56. Hoc verò etiam puerilius est: Si populus per se posset iudicare de doctrina pastoris, non egeret praedicatoribus. Quae verò hic consecutionis vis? Discipulus per se potest discernere inter praepceptorem doctum & indoctum. Ergo non habet opus praepceptore. Notitia enim & iudicium habet suos gradus.

57. Non igitur sequitur, ideò Lutheri doctrinam debuisse esse suspectam, quia pugnaret cum doctrina omnium doctorum Pontificiorum, ut vult Bellarminus: Sed approbandam esse & suscipiendam, quia consentiat cum scriptura sacra, quae est regula unica divinae veritatis.

58. Illud

58. Illud verò Antichristianè dictum est à Bellarmino: Cum pastor ordinarius, & aliquis alius, qui prædicat non vocatus, contraria docent, debet omninò populus pastorem suum potius sequi, quàm illum alterum, qui non est pastor, etiamsi fortè contingeret, ut pastor erraret.

Supra hunc
partem voca
tionem
similiter a

59. Colligere vel hinc tandem nobis liceat, Papæ ordinarij (contra ordinem Evangelij) mendacia Bellarmino esse gratiora divina veritate à Luthero, alijsq; ex ipso verbo Dei probata.

60. Veritas autem audienda & acceptanda est, à quocunq; proferatur: quod ex ipsis Pontificijs præstantissimi nonnulli agnoverunt.

61. Deniq; sic arguit Bellarminus: Dominus & Apostolus tantùm jubent, ut falsi Prophetæ non audiantur à populo: non autem ut populus eos deponat.

62. Quid ais? Num ergo putas lupis istis permittendum, ut planè devissent Ecclesiam? Vel subtrahendum o vibus Christi pabulum, ut habeant lupi grassandi materiè? Quare quos populus novit esse ejusmodi lupos, eos ad ministerium non expetet, non admittet, imò etiam deponet, eo ordine & modo, quem præscribunt sacra litera, & nos infra ostendemus. Non ergo solvit hoc argumentum Bellar. quod se fecisse gloriatur.

63. Argumentum nostrum tertium. Ea demum rectissima est ratio vocandi ministros Ecclesie, quæ est ab ipsis Apostolis tum præscripta, tum usurpata. Atqui hæc talis est, ut totius Ecclesie accedat consensus & suffragium. Ergo &c.

64. Propositio à $\alpha\beta\iota\pi\iota\sigma\omicron\varsigma$ est. Assumptio probatur testimonio 1. Cor. 16. ver. 3. Quoscunq; probaveritis per epistolas, hos mittam. Ubi loquitur Apostolus de ijs, qui eleemosynas Corinthiorum perlaturi erant Hierosolymam. Quod officium constat ijs demandari solitum, qui Ecclesie inservirent.

65. Deinde scribit Apostolus 1. Tim. 3. v. 7. Oportet Episcopum habere bonum testimonium. 1. Tim. 5. v. 22. Manus citò ne cui imponas: antequam scilicet accedat Ecclesie testimonium & consensus. Unde conficio Ecclesie testimonium in vocatione ministri necessarium esse.

66. Et talis fuit Apostolorum praxis, Act. 1. v. 23. in electione Matthie. Act. 6. v. 3. in ordinatione Diaconorum: Ubi hæc leguntur Apostolorum

B verba:

verba: *Dispicite ergo fratres, (inquiunt illi) ex vobis viros septem idoneo testimonio ornatos, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos praeficiamus huic negotio, Act. 14. v. 23. ubi creantur per suffragia (καὶ ἐλοῦντες) per singulas Ecclesias presbyteri.*

67. Et ista ratio vocandi ministros ab Apostolis tradita & accepta diu mansit in primitiva Ecclesia: quae iudicavit omnes illas electiones irritas, quae ἀνευ λαῶν συνέστωσαν, id est, ut vertit Cyprianus, sine conscientia & assensu populi factae essent.

68. Unde sunt isti Canones Distinct. 62. Sint à plebe expetiti, à Clericis electi, Episcoporum iudicio ordinati. Item: Qui futuri sunt Sacerdotes, ab Episcopis postulentur, teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, & consensus plebis.

69. Verè enim Leo: Nulla, inquit, ratio sinit, ut inter Episcopos habeatur, qui nec à Clericis electi, nec à plebibus expetiti sunt. Vide etiam epistolam 110. Augustini.

70. Huius rei & testimonia & exempla plurima produci ex antiquitate possunt.

71. Quid verò contra hanc clarissimam veritatem Bellarminus molitur? I. Impudenter negat, ullum extare in scripturis praeceptum, quo Christiano populo ea potestas vocandi ministros concedatur. II. Ad exempla Apostolica respondet, in illis adhibita suffragia totius Ecclesiae non ex quadam necessitate, sed ex concessione Petri. III. Ab exemplis illis non ritè concludi ait. IV. Afferit aliquando sine populi suffragio Episcopos fuisse electos: idq; negat factum contra ius divinum. V. Deniq; egregium Sophistam se praestat in pervertenda vera significatione verbi καὶ ἐλοῦντες, quod extat Act. 14. v. 23. nesciens distinguere inter καὶ ἐλοῦντες καὶ καὶ ἐλοῦντες.

72. Cui toti sophisticationi haec (non solius Petri, ut sentit Bellarmin. sed) omnium Apostolorum verba oppono: *Dispicite fratres, ex vobis viros septem idoneo testimonio ornatos, plenos spiritu sancto & sapientia, quos praeficiamus huic negotio, Act. 6. v. 3.*

73. Ubi non est aliqua Petri concessio: sed praeceptum Apostolicum, & regula cuiusvis sacrae vocationis & electionis. Quae si divina est, pro-

77. Hic est
in 77. Hic est
Memorandum
ratione non
or. 2. Hic est
5. praedicatio

fanus

Janus sit Bellarminus oportet, qui contrariam statuit: si divina non est, quaeso te, cur ab Apostolis praescripta? cur ab ipsis usurpata?

74. Ad primitivae Ecclesiae praxin, & conciliorum & patrum testimonia respondet Bellarminus: Vocandi ius habuisse quidem aliquando populum Christianum, sed non ex jure divino, verum ex concessione Pontificum.

75. Quae certe responsio tanto Iesuita digna est: praesertim quia addit, splendide mentiri eos, qui dicunt ritum eligendi Episcopos sine suffragio populi, pugnare cum verbo Dei, & cum multis conciliorum decretis: nec posse ullum afferri verbum Dei, nec ullum concilij decretum, in quo id habeatur. Os impudens.

76. Firmum ergo manet, quod diximus, totam Ecclesiam habere ius illud vocandi & constituendi ministros Evangelij.

77. Pontificij totum Ecclesiae caeterum distinguunt in Clericos & Laicos: Et solus Clericis potestatem vocandi & ordinandi ministros attribuant, exclusis Laicis. Vide Concilium Tridentinum de Sacramento ordinis, Canon 7.

78. Nos ejusmodi distinctionem in scriptura negamus reperiri: quam demonstrare Iesuita nondum potuerunt. Id quod vel tandem agnoscere velle videtur Bellarminus, ita scribens: Potest eadem appellatio cleri diversa ratione cum universae Ecclesiae, tum solis templi ministris aptissime convenire.

79. Cui hoc tantum respondeo: Non quomodo possit, sed uti debeat & oporteat unumquodque scripturae dictum intelligi & accipi, videndum esse.

80. Cum autem vox $\alpha\delta\eta\sigma$ tredecies in novo Testamento inveniat, nego ullo loco accipi oportere sensu Pontificio, pro solis Ecclesiae ministris.

81. Sic ergo potius Ecclesiae membra distinguamus, ut unus sit ordo presbyterij, secundus politici magistratus, tertius reliquae multitudinis.

82. Si quis $\alpha\delta\eta\sigma$ velit: in presbyterium & populum. Et populum in magistratum & subditos: non repugnabo.

83. Presbyterij nomine intelliguntur non tantum ministri verbi, sed etiam illi, qui ab Ecclesia ad functiones Ecclesiasticas constituendas sunt

B 2 deputa-

deputati: quos seniores, praepositos & consiliarios Ecclesiae, adeoque senatum Ecclesiasticum appellamus.

84. Atque his quidem presbyteris primas partes in electione & vocatione ministrorum concedendas esse, nemo sanus, ut opinor, negabit.

85. Magistratum hic accipimus non gentilem & profanum, sed Christianum, qualis est in Ecclesia iam constituta.

86. Jus ergo vocandi ministros Ecclesiae non est penes solos ministros verbi, neque solum magistratum, neque solam plebem.

87. Nam quod ad totam Ecclesiam pertinet, id uni aut alteri soli parti tribui non debet. Atqui jus & potestas vocandi ministros ad totam Ecclesiam pertinet. Ergo &c.

88. Solis ministris verbi non convenit ea facultas: quia nefas est ministrum sibi sumere partes Domini. Doctores autem & pastores sunt ministri Ecclesiae, 2. Corinth. 1. vers. 24. non domini, 1. Petr. 5. vers. 3. Ergo &c.

89. Solus magistratus vocare ministros Ecclesiae non debet: quia discrimen est inter regna politica, & regnum Christi, Ioh. 18. v. 36. Vocatio autem pertinet non ad jus politica, sed ad regnum Christi. Quare politica potestati magistratus subijci non debet ministerij Ecclesiastici constitutio. Nec enim monarchica est Ecclesiae in his terris gubernatio.

90. Neque promiscua multitudini id juris concedendum est: quia in Ecclesia ordine fieri omnia debent, & vitari confusiones, 1. Cor. 14. v. ult. Neque enim Democratica est Ecclesiae administratio, sed Aristocratica.

91. Quare damnatur merito Anabaptistarum turbulenta confusio, quae sine regula & lege cuivis permittit docere, qui se aliquid profecisse legendo scripturas, profitetur.

92. Nec excusari possunt illi magistratus, qui in vita Ecclesiae ministros obtrudunt.

93. Et grande committit sacrilegium Romanus Pontifex, qui sibi soli vindicat omne jus vocandi, constituendi ordinandiq; Ecclesiae ministros.

94. Verum hoc sacrilegium esse pernegant Romanenses. Sic enim Bellarminus li. 1. de Clericis, c. 3. asserit: Ordinationem tum Episcoporum, tum aliorum Ecclesiae ministrorum, non ad plebem, sed ad solos Episcopos pertinere.

pertinere. Et c. 4. Vocatio seu missio ministrorum non ad populum pertinet, sed ad Episcopos, & potissimum ad summum Pontificem. Et c. 7. Jus eligendi summum Pontificem, ceterosq; Ecclesie pastores & ministros, non convenit populo jure divino: sed si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniventia vel concessione Pontificum.

95. Ex quibus constat, Bellarminum omnem facultatem atq; jus vocandi ministros Ecclesie, populo Christiano planè derogare.

96. Noto hic ἡξεῖν καὶ τεῖν, quando ordinationem vocationi praeponit Bellarminus, cum hac precedere, illa sequi debeat. Ordinatio enim est vocationis confirmatio.

97. Quòd verò de conniventia & concessione Pontificum dicit, Romanenses nugae sunt.

98. Nec dum probavit, nec unquam probare poterit, penes solum Pontificem Romanum esse jus eligendi & vocandi ministros, quantumvis maximo studio & industria contenderit.

99. Et nihil in primitiva Ecclesia de Romano quodam summo Pontifice auditum fuit, qui se Christi Vicarium esse profiteretur, & visibile Ecclesie caput.

100. Nec consuevere Romana hierarchia tyranni concedere (nisi aucupandi animo) populo Christiano novam libertatem. Quinimò rapere quàm dare pleriq; illorum maluerunt, testibus historijs.

101. Ut autem thesin suam φυλάτῃ Bellarminus, profert argumenta septem, quae ordine videbimus: li. 1. de Clericis, c. 7.

102. Primum est ab exemplo Aaronis, & testimonio D. Pauli. Scribit enim Apostolus ad Heb. 5. Neminem assumere sibi debere honorem, nisi vocetur à Deo tanquam Aaron. Atqui Aaron à solo Mose fuit electus in Pontificem, sine ullo vel consensu vel consilio multitudinis.

103. Resp. I. Exemplum alienum est. Queritur enim inter nos de vocatione mediata. Aaron autem non fuit ordinariè vocatus: Sed per Mosén declarata illi fuit vocatio illa Dei immediata, qua Aaron designabatur ad Pontificatum. II. Nec eadem est ministrorum vocandorum in novo Testamento ratio, quae fuit Sacerdotum in veteri: quia hi

carnali successione propagabantur, quod fateatur Bellarminus capit. 6.
 III. Quare particula (tanquam) in Apostolico testimonio non trahenda
 est ad speciem & modum vocationis Aaronicae, sed refertur generali-
 ter ad vocationem divinam, qua fit auctore Deo, sive mediata sit, sive
 immediata. IV. Nec sequitur: A solo Mose fuit Aaron electus in Pon-
 tificem. Ergo penes solum Papam est potestas eligendi ministros. Quae
 hic οὐδέχεται, quae οὐνάφεται? Num etiam Mosis successor est Papa?
 104. Argumentum II. ab exemplo & verbo Christi. Christus enim
 Ioh. 20. Apostolis ait: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Quocirca
 voluit, ut ea potestate, eaq; ratione Apostoli gubernarent Ecclesiam, qua
 ipse eam gubernaverat eo tempore, quo praesentiam suam mundo exhi-
 buerat. At ipse Apostolos primùm duodecim, ac deinde discipulos septua-
 ginta duos elegit, sine consilio aut suffragio ullo multitudinis.
 105. Resp. I. Argumentum est alienum à questione: cum nos a-
 gamus de vocatione mediata. II. Prava est dicti Christi interpreta-
 tio, quae inde oritur, quia tertium illud, in quo fit comparatio, non rectè
 animadvertitur. Non enim Christus discipulis suis potestatem aliquam
 in Ecclesiam concedit, sed commendat eis Evangelij ministerium, & do-
 nat eos Spiritu sancto, qui sit vires & efficaciam additurus ipsorum pra-
 dicationi. III. Quis unquam affirmavit, eandem esse Christi & Apo-
 stolorum, & Romanensium Episcoporum potestatem in gubernanda Ec-
 clesia? IV. Cumq; Apostoli ita egerint, ut à Christo mandatum ipsis
 fuit; monstret Bellarminus, ubinam sine consilio aut suffragio multitu-
 dinis Apostoli ministros Ecclesiis invitis obtruserint.
 106. Argumentum III. ex iure divino, tum naturali, tum etiam
 scripto. Nam iure divino scripto Episcopi sunt pastores populi: populi
 sunt oves, Ioh. ult. Act. 20. I. Petr. 5. Ratio autem naturalis apertissimè
 docet, ovis non convenire, ut pascant ac regant, sed regantur atq; pa-
 scantur. At eligere pastores ad gubernationem & regimen pertinere
 certissimum est. Non igitur populo convenit pastores eligere.
 107. Resp. I. Similia illustrant, non probant. II. Violatur lex simili-
 tudinis, dum extenditur ultra scopum scripturae. III. Nam haec jubet
 Christianas oves amplecti vocem veri sui pastoris, & fugere mercena-
 rios,

riōs, Ioh. 10. vers. 5 & 8. Unde non brutas, sed intelligentes has oves esse constat. IV. Quare ἀνακόλουτον est, Oves Christi reguntur, non regunt. Ergo perinde illis esse debet, à quonam vel pascantur, vel corrumpantur. V. Neq; solus populus pastores eligit, sed presbyterium: idq; certo ordine & ratione in sacris literis praescripto. VI. Num verò peccasse dicemus illas Ecclesias omnes contra ius divinum & naturale, quae sibi ministros & pastores elegerunt? Audiat ergo hic Bellarminus sua verba ex lib. 2. de Pontifice, c. 30. Miserrima esset conditio Ecclesiae, si lupum manifestè grassantem pro pastore cognoscere cogereetur.

108. Argumentum IV. Idem probatur, inquit Bellarminus, exemplo Apostolorum, qui Episcopos passim eligebant sine ullo suffragio multitudinis: ut vel ex eo constet, quod Episcopos à se creatos mittebant ad populos absentes & infideles.

109. Resp. I. Antecedens falsum est: quod certis exemplis & testimonijs fuerat Bellarmino confirmandum, non sic nudè asserendum. Id enim certò constat, (frustrà negante Bellarmino) Apostolos non obtrusisse in vitis Ecclesis Episcopos aut pastores. Pugnaret id sanè cum tota ratione propagandi Evangelij. II. Illa consecutio infirma est: Apostoli misere absentibus & infidelibus populis doctores. Ergo id sine suffragio populi factū. Si enim in vitis obtrusere, cur recepti sunt? vel quis recipere eos coëgit? Quid dicam de ipsorum Apostolorum persecutionibus? Illud ergo huc pertinet 1. Tim. 3. v. ult. ubi magnum pietatis mysterium predicatur, quod Deus in carne manifestatus, creditus est in mundo. III. Discrimen esse potest in Ecclesia fundamentis jaciendis, & in Ecclesia, quae iam constituta est, gubernanda. IV. Quare quicquid sit de exemplis nonnullis, constanter affirmo, nobis regulam Apostolicam, in eligendis Ecclesiae ministris, sequendam esse.

110. Argumentum V. Affert testimonia ex concilio Laodicensi, Braecarenensi, Niceno secundo, & quarto Constantinopolitano, quibus electionem solis Episcopis vindicari putat.

111. Resp. I. Regula fidei est solum verbum Domini: cui si consentiunt conciliorum decreta, approbanda: sin minus, repudianda sunt. Non ergo hoc probandi genus est primarium, sed secundarium tantum: neque
per se

per se valet, sed propter consensum scripturae. II. Dextrè explicari potest & debet conciliorum sententia: quæ hæc est, ne populus abutatur suo jure, & vel sibi soli potestatem eligendi rapiat, vel insolenter præscribat presbyterio modum in vocandis ministris, unde turbæ & confusiones oriri facile possint: sicut eorum temporum exempla ostendunt. III. Confero alios canones ferè infinitos, quibus requiritur consilium Clericorum, examen Episcoporum, & populi testimonium: Nec habentur pro legitime electis, qui non sint à populo expetiti, vel quorum vocationi non accesserit populi consensus.

112. Argumentum VI. Ab exemplis seu testimonijs veterum, qui post Apostolos floruerunt. S. Hieronymus in epist. 85. ad Evagrium: Alexandria, inquit, à Marco Evangelista usq; ad Heraclam & Dionysium Episcopos presbyteri semper, unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, &c.

113. Resp. I. Idem hic repeto, quod de concilijs jam dixi. II. Hieronymus pugnat contra ipsum Bellarminum, qui solis Episcopis tribuit eligendi ministros potestatem, cum hic presbyteri dicantur nominare Episcopum. Quanquam (ut hoc obiter addam) nullum verum discrimen inter Episcopum & presbyterum scriptura agnoscit. Quod notet Bellarminus, qui scribit li. 1. de Clericis, c. 3. A seculo non est auditum, ut Episcopum non Episcopus ordinaret: neq; hujusce rei ullum vel institutum ex disciplina, vel exemplum ex historijs, vel etiam usurpatio ex heretica licentia proferetur. Hactenus Bellarminus: Ex quo ego quero: An Papam non Papa ordinare possit? Cardinalis enim & Papa non sunt idem: alioqui tot Papæ futuri sunt, quot sunt Cardinales: quod absit. III. Quæ sit sanctorum Patrum constans de vocatione & ordinatione sententia, ex infinitis eorum, usq; clarissimis testimonijs patet: quibus ad amussim respondent primitivæ Ecclesiæ exempla.

114. Argumentum VII. Ex incommodis, quæ popularem electionem consequuntur. Primum, populares imperiti sunt, nec possunt iudicare, an aliquis sit idoneus sacerdotio, nec ne? Deinde plures semper sunt in quavis civitate mali quàm boni, plures stulti quàm sapientes. Major autem pars vincet. Ergo semper ij præficientur, quos præfici cupient peiores

peiores & stultiores. Deniq; popularis electio obnoxia est tumultibus & seditionibus.

115. Resp. I. Ista rectè dicuntur contra Anabaptistas: quorum inconditam confusionem nos ipsi damnamus. II. Non enim sola multitudo vocat & iudicat, sed presbyterium; id est, ij, quibus hoc munus totius Ecclesie nomine demandatum est, certo ordine & ratione ab Apostolis prescripto. III. Incommoda, si qua essent, an non videre poterant Apostoli & primitiva Ecclesia? Illum ipsum tamen morem vocandi & eligendi retinuerunt & propagaverunt.

116. Vanum enim est, quod dicit Bellarminus, eam rationem eligendi ad suffragia populi, paulatim in Ecclesiam irrepsisse, proinde etiam debuisse paulatim, sua viterq; de medio tolli. Initiò enim, inquit, hoc est, Apostolicis temporibus, insciente populo, pastores eligebantur.

117. Haud ita. Nam Deo auctore ea ratio vocandi usurpatur. Neq; consequens est, ut quod paulatim irrepsit, sua viter sit tollendum? Quid enim fiet erroribus, heresibus, vitijs? An ea sua viter tractanda, & sua viter tollenda? Atqui Paulus horrendum anathema dicit pseudodotoribus, & eternam damnationem minatur impœnitentibus peccatoribus.

118. Consideremus verò & hæc Bellarminiana: Deinde, inquit, cœpiis populus adhiberi, ad testimonium dandum de vita & moribus eligendi

119. Rectè illud, inquam, & necessariò factum, atq; secundum Apostolicam informationem, à primo inde exordio Ecclesie novi Testamenti, non nova quadam & obrepente consuetudine. Nefas est dicere, irrepsisse in Ecclesiam præter fas, quod ab ipsis Apostolis est præceptum & factitatum.

120. Pergit Bellarminus: Tum ut populi magis diligerent suos Episcopos, cœpi sunt ij tantum ordinari, quos populus postulasset.

121. Hæc etiam, inquam, ratio est laudabilis, quæ omni tempore in Ecclesia valuit plurimum, & valere debet.

122. Sequitur: Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, ut etiam ius suffragij sibi populus usurparet.

123. Ecquando verò illud Bellarminæ? & quibus de causis? Non enim ista omnia sic nude recitanda tibi erant, sed certis testimonijs & argu-

C mentis

mentis confirmanda. Nam sunt illa ab ipso sanctorum Apostolorum tempore sanctè observata in Ecclesiis, non contra jus fasq; usurpata, ut impudenter effutis.

124. Quare hæc verba vanissima sunt: Posteaquam hoc aliquandiu toleratum est, & apparuit eius rei confusio & indignitas, tum etiam paulatim sublata est populi electio & postulatio, solumq; relictum est testimonium vitæ & morum.

125. Resp. Elenchus causse est. Vera enim caussa, cur Apostolica, laudatissima illa, eligendi ratio sit è Romana Synagoga sublata, est Romani Pontificis tyrannis. Nam confusio non est, ubi omnia certo ordine & ratione fiunt, ut in Apostolica electione. Neq; indignitas dici debet, quæ ad gloriam Dei spectat & Ecclesiæ adificationem.

126. Inconstantia autem est affirmare, populi requiri testimonium: & nihilominus asserere, penes solos esse Episcopos eligendi potestatem, sine ullo populi vel consilio vel suffragio, adeoq; populo insciente.

127. Ecce verò Bellarminum nobis illudentem: Nam etiam nunc, inquit, ordinantur Episcopi & presbyteri coram populo, & Episcopus, qui ordines collaturus est, per Diaconum populum alloquitur, ac petit, ut si quis est, qui aliquid habeat adversus ordinandos, accedat, & dicat.

128. Affirmat à Papistis rectè fieri & observari, quod hætenus Apostolicum esse negavit, & quod dixit, fieri contra jus divinum & naturale. Quæ illa levitas?

129. Num verò praxis Romanensis huic affirmationi Bellarmini respondeat, an & iste, & illa Deo & hominibus illudat, hinc judicari potest. Nam quando interrogat Diaconus, utrum ordinandus casit eruditione & vitæ integritate, ut censeri possit dignus, qui eligatur & confirmetur: Stat quidam in angulo, qui acclamat: Doctus est: Dignus est. Quod ludibrium quis habere volet pro testimonio Christiani populi?

130. Hætenus vidimus de vocatione ministrorum Ecclesiæ: Restat ut de ordinatione aliquid addamus.

131. Est autem ordinatio illa vocationis confirmatio: nempe publica: & solennis testificatio, qua vocatio eius personæ, quæ ordinatur, in conspectu Dei & nomine ipsius declaratur esse legitima, pia, & divina.

132. Quam quidem ordinationem præire debet accuratum examen, quo ordinandus explorentur.

Explorentur progressus in doctrina, & dona ministerio necessaria, & vitæ integritas
Act. 6. v. 3. 1. Tim. 3. v. 2. & c. 1. Tim. 5. v. 22. Tit. 1. v. 5. & c.

133. Est ergo hæc ratio, hic ordo atq; modus vocandi & ordinandi ministros Ecclesiæ:
ut, qui studium suum atq; operã, vel spontè, vel vocatus, offert Ecclesiæ, per ordinarios
examinatores exploretur in doctrina & moribus: tum, si dignus reperiatur, honesto
testimonio ornatus sistatur Ecclesiæ, (quam refert presbyterium) cuius si consensus
accedat, publico ritu ordinetur & confirmetur, publicisq; precibus Deo commendetur.

134. Adhiberi solet huic ordinationi manuum impositio. Qui ritus imponendarũ
manuum ex veteri Testamento Genes. 48. v. 14. Levit. 1. v. 4. Num. 27. vers. 18. & 23.
Deut. 34. v. 9. desumptus, & ab Apostolis salva Christiana libertate usurpatus. Act. 6.
v. 6. & c. 13. v. 3. 1. Tim. 4. v. 14. & c. 5. v. 22. 2. Tim. 1. v. 6. in nostris Ecclesiis observa-
tur: quia multa utiliter monere potest.

135. Absurdi autem sunt Pontificii, qui ordinationem (cui adhibent unctionem &
insufflationem) dicunt esse verè ac propriè Sacramentum. Bellarminus de Sacramen-
to ordinis, c. 1. 2. & c. Et manus impositionem ad essentiam Sacramenti ordinis perti-
nere: Eiusdem lib. c. 9. Et duplicem esse huius Sacramenti effectum. I. potestatem spi-
ritualem perpetuam, in cuius signum imprimitur character. II gratiam gratum
facientem, qua possint ordinati ritè fungi suo munere, ibid. c. 10.

136. Que omnia tum demum pro veris acceptabimus, quando claris & perspicuis
sacra scriptura testimoniis nobis probaverit Bellarminus: cui illud Hieronymianum
occinimus. Quod de scripturis sacris auctoritatem non habet, eadem facilitate con-
temnitur, qua asseritur.

137. Quod idem iudicium esse debet de septem illis ordinibus, quos numerat Bellar-
minus, li. 1. de Cler. c. 11. Septem duntaxat ordines (propriè loquendo) numerantur,
videlicet Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, acoluthus, lector, exorcista, & ostiarius.

138. Quorum ordinũ neq; nomina omnia, neq; res in scriptura reperiri posse affirmo.

139. De numero verò eorum maxima occurrit in scriptoribus varietas, ut nihil
certi de iis statui posse videatur. Cuius rei testis esse potest Bellarminus, qui licet in
singendis distinctionibus ferè perpetuò labore, non tamen potest conciliare diversas
suorum auctorum opiniones.

140. Illi autem verè sunt ridiculi, qui Christum ipsum per omnes illos ordines trã-
iisse comminiscuntur. Sacerdos fuit, inquit, quando consecravit Eucharistiam, &
seipsum obrulit in ara crucis. Diaconus, quando distribuit Eucharistiam. Subdiaco-
nus, quando lavit discipulorum pedes. Acoluthus, quando dixit: Ego sum lux mun-
di. Exorcista, quando expulit demonia. Lector, quando legit Esaiam in Synagoga.
Ostiarius, quando ementes & vendentes eiecit ex templo.

141. De officiis & ministeriis singulorum istorum ordinum hoc tantum jam affir-
mamus, apud Romanenses in foedissimum abusum conversa esse.

142. Sacerdotes enim illorum sacrificuli sunt. Diaconi & Subdiaconi servi idolola-

erie. Acoluthi facti sunt ceroferrarij, (ineptissima planè vocis interpretatione.) Exer-
cista sunt incantatores & magi. Lectores sunt sine mente sonus. Ostiarii sunt the-
saurarii. Ubi verò interea manet verum & legitimum ministerium verbi & Sacra-
mentorum? cuius unius maxima adeoq; unica semper erat ratio habenda.

143. Sunt igitur ordines isti Pontificii valdè inordinati: Qui proinde in Ecclesiâ
ubi omnia ordine & decenter fieri debent, locum habere non possunt.

144. Neq; tamen ordo inter Ecclesiâ ministros à nobis tollitur vel negatur.

145. Nam & Deus ipse ordinem inter eos fecit, donorū varietate, ut alii sint Apo-
stoli, Prophetæ, Evangelistæ, doctores, pastores, diaconi: ut recenset Apost. Eph. 4. v. 11.

146. Et opus est propter ἐὼλαξίαν inter Ecclesiâ ministros ordinem servari: ne o-
riantur confusiones, 1. Cor. 14. v. ult.

147. Deniq; ad unitatem servandam aliquid facit ista ordinis observatio. Quis
ἀναρχία plurimorum malorum mater est.

148. Ordines ergò ministerii nos studiosè observamus: sed ita ut negemus, eos cer-
to & necessario numero vel à Deo esse præscriptos, vel ab Apostolis usurpatos, verum
pro ratione circumstantiarum cuiusq; Ecclesiæ, constitutos & constituendos.

149. Neq; ordinis illa ratio ad primatum quendam sive dignitatis, sive auctorita-
tis, multoq; minus potestatis in Ecclesiâ Christiana constituendum torqueri debet.

150. Hoc enim prætextu Romanæ hierarchiæ tyrannis paulatim ita crevit, ut cœr-
ceri & tolli, nisi cœlesti & divina vi, nequeat.

151. Quare, ut concludam, probantur nobis hæc Nazianzeni, de ἐξέδειξας gradus
differentis, verba: Propter hanc, inquit, res omnes nostræ jactantur & conculcuntur:
propter hanc fines orbis terra versantur in suspitione & bello, eoq; surdo, & ne nomē
quidem habente: propter hanc periculum est, ne ab hominibus esse censeamur, qui à
Deo sumus, & ne magnum illud & novum nomē (intelligit nomen Episcopi) amit-
tamus: quod utinam neq; esset præsentia, neq; loci prælatio, neque vio-
lenta præeminentia: ut ex sola virtute agnosceremur. Nunc autem dextrum
hoc, latus, & sinistrum, & medium, & sublimior & inferior sedes, & illa præcundi
vel eodem gradu incedendi in vecta consuetudo multas nobis clades nequicquam in-
tulerunt: & multos in foveam impulerunt, atq; ad hircorum locum abduxerūt, non
ex inferioribus tantum, sed iam etiam ex pastoribus, qui cum essent magistri Israël, hæc ignorarunt. Hactenus Nazianzenus.

152. Quæ contra veram hanc nostram sententiam à Bellarmino opponuntur, in
ipso disputationis cursu, iuvante Deo, plenius excutientur.

Τὰνὸτερον καλλίω.

Disputabuntur in auditorio Theologico 4. die
Martii, horis pomeridianis.

F I N I S.

ad 6

99 A 6906

ULB Halle 3
002 633 388




52

6

VD17

Rehe 0





112

s Theologica

ONE ET ORDINA-
trorum Ecclesiae,

contra Pontificias strophas,

INTER ANNUENTE:

E M. BAL-

MENTZERO, SS.

Academia Marpur-
fessore, afferere
nabitur

NES HASENKLO

sellanus.



*Ornatiss: & Doctiss: Dno M. &
jaredo Mesomyhis collegae suo e
minantiss exhibet R*

Pauli Egenolphi. 1597.

An Hi 6

